



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Semita Perfectionis Purgativa, Illuminativa, Et Unitiva

Dirckinck, Johann

Coloniae Agrippinae, 1705

VD18 15298639

2. Desiderium cognoscendi Deum.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55242](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55242)

II. Domine, expelle tenebras desuper abyssi
mentis mea. S. Aug. soliloq. c. 1.

III. O Lumen meum! haftenus contexe-
runt me tenebrae: Sed post tenebras spero lucem.

P A S S U S II.

Desiderium cognoscendi
DEUM.

T E X T U S.

*Nōsse Te, consummata justitia
est; & scire justitiam & vir-
tutem tuam, radix est immor-
talitatis. Sap. 15. 3.*

Cognitio.

QUanta, Domine Deus meus, sit ne-
cessitas, Te omne bonum nostrum co-
gnoscendi, quis non videt? Hujus enim
cognitionis defectu I. omnia mundi scelera
oriuntur; attestante Propheta: *Non est
scientia Dei in terra. Osee c. 4.* Et quid
inde? Omnium malorum colluvies; nam
mendacium, & furtum, & adulterium,
& reliqua scelera inundaverunt. II. Ex
defectu hujus cognitionis deficit in morta-
libus fides, languet spes, hebescit fiducia,
perit humilitas, reverentia, timor, obedientia,
pa-

patientia, omnisque reliquis virtutum chö-
rus eliminatur. Quomodo enim credent,
sperabunt, timebunt, verebuntur, obe-
dient, ac sustinebunt, quem non cognove-
runt? III. Ex defectu hujus cognitionis
flaccescit concupiscentia æternorum, te-
pescit charitas, marcescit desiderium, con-
formitas cum voluntate Divina interit;
omnisque perfectionis & unionis cum Deo
neglectus & oblivio nascitur: quemadmo-
dum ex cognitione Dei mox omnis virtus
& justitia exoritur; *Nösse enim Te, consum-
mata justitia est.* Sap. 15. 3.

Affectus & Petitio.

O quis igitur Te, Deus meus, omnis
boni fontem, cognoscere non desideret,
ut cordis puritatem, virtutum splendorem,
& perfectionis ac charitatis consummatio-
nem obtinere mereatur? O Lux beatissima,
qua non nisi à purgatissimis oculis videri
potes: Beati mundo corde, quoniam ipsi
Deum videbunt. Mundane, mundans vir-
tus; sana oculos meos, ut sanis oculis Te con-
templor, quem non nisi sani oculi intuentur.
Affer quæso squamas caliginis antiquæ radio
tua illuminationis, Splendor inaccessibleis, ut
Te videre valeam irreverberatis obtutibus;
& in lumine tuo videam lumen Ecce video;
dilatetur obsecro visus meus, Domine, ex Te.

Re-

*Revela oculos meos, & considerabo mirabilia
de lege tua. S. Aug. soliloq. c. 34.*

Aspirationes.

I. *Non gloriatur sapiens in sapientia sua;
sed qui gloriatur, in hoc gloriatur, scire
& nōsse Me. Jerem. c. 9. 25.*

II. *Noverim me, noverim Te, DEVS
meus! S. Augustinus.*

III. *Domine Deus, O s̄ Te homines
nōssent! S. Ignatius.*

P A S S U S III.

Cognitio & dilectio Divi-
nitatis.

T E X T U S.

*Hec est vita eterna, ut cogno-
scant Te Deum verum, &
quem misisti JESUM Chri-
stum. Joan. c. 17.*

Cognitio.

O Tranquilla & serena lux, Deus meus,
animam meam tuis illustrationibus ir-
radia, ut naturam tuam Divinam clariùs